



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 633. Usque Ad Annum 726

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117840

§. 28. Clerici militantes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66082](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66082)

politanae & totius Imperii accisae sunt vi-
res. Non modo litterarum studium, sed
& Disciplinae militaris vigor periit. Cæ-
des, latrocinia, direptiones, captivitates,
civitatum obsidiones omnes Provincias
turbabant. Ubique hostes impune graf-
sabantur, Musulmanni ipsius urbis Con-
stantinopolitanae portis insultabant.

Sæcul. VIII.
A. C. 716.

§. XXVIII.

Clerici militantes.

Interim Longobardi Italiam depopula-
bantur. Violata pace Cumas occu-
paverant, & permoveri non poterant,
ut restituerent, quantumvis Gregorius II.
Papa instaret. Iram Dei denunciabat fi-
dem datam dolose frangentibus, & ma-
gna dona offerebat, si captam urbem
redderent. Cum nihil efficeret, indo-
luit quidem Papa, sed in Deo confidens,
datis litteris ad populum Neapolitanum
& Joannem Ducem, qui Pontificis man-
datis obtemperans ibi præsidiariis impe-
rabat, (*) ad edendum fortitudinis spe-
cimen excitavit. Ergo Neapolitani eo-
dem

(*) Hic iterum dispicimus, qua ratione SS.
Pontifices sensim terrenum Principatum in has
Provincias sint consecuti. Hodieque utriusque
Siciliae Reges SS. Pontificibus præter fixum So-
lidorum numerum etiam Tolutarium in singulos
annos Clientelaris obsequii titulo offerunt.

Sæcul. VIII.
A. C. 716.

dem Joanne & quodam Subdiacono, nomine Theodimo, ducentibus, nocturnis insidiis superant & in potestatem redigunt, quo non obstante Papa triginta auri libras, quas promiserat, ad redimendam urbem dedit. Subdiaconus iste militum Dux notari meretur, sicut & ille
Paul. Diac. V. hist. c. 40. Diaconus, qui Imperatoris Anastasii clausum imperabat. Nec non ante hoc tempus Zeno Ecclesiæ Ticinensis Diaconus assumptis Regis Cuniberti armis in prelio pro Domino suo occubuit.

10. 1. *Bibl. Lab. hist. ep. Aufl. c. 26.*

Sub idem tempus Gregorio II. Papa Petri Sedem tenente Savaricus Episcopus Antissiodorensis, illustribus natalibus ortus ab officiis Pastoris discedens, rebus sæcularibus, plusquam Episcopum decebat, & usque adeo occupabatur, ut Regiones Aurelianensem, Nivernensem, Tornedorensis, Aballensem, & Trecessensem, armis subactas, suæ Ditioni jungeret. Tandem cum validum agmen ad subjiciendam urbem Lugdunensem duceret, delapso ex æthere fulmine icus perit. Istud Dagoberto III. regnante accidit, cum Regia Auctoritate in Francia ferme extincta jura omnia bellis civilibus miscerentur.